

num, & amplitudine promissionum.

27. *Quanam sit summa religionis Christiana? Credere inuisibilia, sperare dilata, & amare Deum & proximum, etiam tum, quando sunt nobis aduersarij.*

28. *Quanam sint hodie falsarum religionum differentia? Atheismus, Epicureismus, Mahumedismus, Iudaismus, Hæresis & Schisma dogmaticum.*

29. *Vnde instructio de vera religione sit pendenda? Ex Biblijs magnis & paruis.*

30. *Quid in disputationibus in negotiis religionis imprimis spectandum? Ut vnum sentiamus omnes in ijs, quæ ad gloriam Dei, & ædificationem ecclesiæ sunt necessaria: in reliquis, si sententijs nequeamus, ut animis saltem in vnum coeamus, & unitatem spiritus per vinculum pacis seruemus.*

CAPVT II.

De Theologia.

I.

AN theologia & verbum Dei differant?

Theologia positiva, quæ dicitur, est ipsissimum Dei verbum: at methodica est explicatio & applicatio verbi Dei, eaque breuior, in catechesi, vel fusior, in locis commu-